



Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Invste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 10. Alia mulieris impostura in alterius damnum excogitata, mirabili
Numinis prouidentia detecta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

quemcumque, ullam habere cùm femina socie-
tatem: ait Ephræm: ad eam vero, que virgi-
nitatem profitetur, prorsus ne accesseris, si qui-
dem ullus in te carnalis sensus vigeret. Nam mo-
nachum inter epulas cum feminis versari, idem
est, ac se in ignem projicere. Ex igne potes il-
læsus exire si castus es, vix tamen ex mulie-
rum familiari conuersatione. A calumnia
multos Deus per ignem purgauit, quos sci-
uit innocentes; nullum à culpa immunem-
ostendit, quem vidit esse reum.

S. Ephr.
in Doctri-
na varia.

§. X.

*Alia mulieris impostura in alterius damnum
excogitata, mirabili Numinis prouidentia
detecta.*

Succurrit autem cælestis auxiliator in-
nocentibus, non per vnum dumtaxat ele-
mentum. Nam & aquâ epotâ nocentes ab
innocentibus Israelitis olim discriminaban-
tur. Ritum tradit sacra pagina. Cui a mu- Num. 5.
lum in aqua consecranda, ad explorando^{12. seqq.}
reos vel innoxios tradit Auentinus. De quo Tem. 2.
more nos copiosè egimus alibi, vbi non so- c. 8. §. 12.
lum formulas consecrationis recitauimus,
verum etiam, docuimus, cur nunc modus
ille ad ignem vel aquam prouocandi sit
prohibitus. Neq; enim omnibus, aut qua-

Cc 5 uis

uis in caussa est ad miracula prouocandum.
Quod Deus , per quosdam facit, non facit
per omnes. Neque desunt illi alij modi, qui-
bus calumniæ in lucem protrahantur. Non
ambienda sunt miracula , sed, si à Deo, vbi
vtile , aut necesse est, fiunt , cum veneratio-
ne acceptanda , qualia in hoc genere mox
plura dabimus , vbi priùs hīc historiam in-
seremus recentissimam , ex qua clarum fit,
diuinæ prouidentiæ consilia , etiam casibus
humanis vti , ad calumniantes pudefacien-
dos. Notissima Italiæ ciuitas est , cuius no-
men taceo , ne familiam contaminem ca-
lumniatricis ; quamquam publicè ad magi-
stratum delatae. Vir quidam pius, honesto-
que loco natus, æquè Religiosorum atque
religionis amans , defuncto cognato, lu-
culentam atque magnam erat obitus ha-
reditatem , sed eam defuncti vxor hac su-
tela conata est auertere. Finxit se prægnan-
tem, & mortuo marito prolem posthumam
esse paritaram, ad quam patrio iure ea ha-
reditas pertineret. Dominus ille, qui erat
successurus , libenter annuit , se, quod a-
quum videretur, facturum , si peperisset.
Tum femina, per fidelem, diligenter inda-
gauit, an alicubi repertam recens natam so-
bolem

bolem posset supponere. Distabat non longo itinere pagus, in quo colonus dicebatur filium acquisuisse, coniuge inscia, ex nescio quo pagi scorto; eumque clam vxore cupe-re procul inde amoliri ex pago. Cum eo colono actum est, in silentio, eiique etiam pecunia promissa, si rem secretam tenere vellet: Nam optari alicubi hæredem iam diu, qui quia deesset, puerum illius, in magnum dominum euasurum, si adoptatus, pro genuino haberetur. Quid gratius rustico, qui id ipsum optauerat, vt spurium procul à coniugis ira, & simul etiam à sua crumena amouere posset? Adit meretriciam domum, atque cum puerpera transigit, vt filium dimittat, asserens se eum quam longissime (& nominabat locum) amandaturum. Mater, et si filij affectu tenebatur, tamen & famæ seruiendum, & rustico benevolenti gratificandum putabat. Aufertur filius, & propretio datur fictæ matri, quæ numquā pererat. Illa, infante accepto, fingit se media nocte enixam hæredem, absente obstetricie. Fit clamor, & tumultus in vicinia, concurritur, existit ingens gaudium, & gratulatio. Vix orto die, mittuntur, qui inuitent amicos & familiares, vt baptismo infantis

fantis interesse velint. Quin is ipse, qui in
hæreditatem successorus erat, rogatur, ut
Patrinus esse velit. Neq; detrectat. Tingitur
infans lustralibus aquis; nec quidquā omit-
titur eorum, quæ ad tantæ lætitiae pertinent
celebritatem; uno verbo, omnia voluptabi-
li adorea vernant. Feminæ præsertim un-
datim accurrunt ad puerperam laudandam,
ut quæ partu suo defunctum sepultumque
maritū ad vitam reuocasset. Decipi possunt
mortales astutia & fraudibus, numquam
autem Deus immortalis, qui hominum su-
telas & crepundia opportunè nouit demo-
liri. Inter tot gratulantium turmas præci-
puè etiam gaudebat, & in sinum suum ride-
bat scenica puerpera, etiam hoc sibi titulo
plaudens, quod filium sine dolore partus ac-
quisiuisset. Sed non fuit illud gaudium diu-
turnum. Vagiebat in cunis infans, & sitie-
bat, ibi putata genitrix, conscientia frustra apud
se quæri lactis fontes, coacta est fraudem
fraudi annectere. Finxit igitur, nolle se eam
molestiam sustinere, ut ipsa toties flentem
lactaret. Itur ergo, & ubique inquiritur
in nutricem, neque in tota ciuitate inueni-
tur, quæ vellet, aut posset eam operam lo-
care. Casu itaque, immò necessitate, immò

Deo

Deo ita statuente, ad illum ipsum pagum venit, in quo vera pueri mater, filio ablato, in lacte sistendo laborabat, totius fabulæ de simulato partu ignara. Constituitur non inuita. Sed quām primū venit in conspectum infantis, eum agnouit, sanguine quoque ipso naturam prodente. Quin & ipse quoq; infans, veræ matri videbatur adlubescere. Erumpit illico affectus maternus, &, tota familia audiente, exclamat: *Hic meus est filius; Quis te, mi Ioannine huc casus nō Deus nō apportauit?* Ad quam vocem omnes cohoruerunt. Sed in primis, quæ matrem mentita est; quæ vt dolum mendacijs teget, nutricem mendacij arguit. Ibi ergo lis, ibi rixa, ibi alterna mulierum conuitia; donec aduocato colono meretrix ostendit, se matrem esse, quam ille nesciebat in urbem, ad id negotij fuisse in uitatam. Neque patuit tantum, suppositum fuisse partum, rustico veritatem fatente: sed etiam intellectum est, puerum bis fuisse baptizatum, & in primo lauacro Ioanninum nominatum. Sic detecta fraude atque scelere mulieris, infans veræ matri restitutus, & hæreditas vero redita est hæredi. Nullum in hoc casu fuit miraculum; cæcus tamen est, qui nullam hic videt

414 Cap. XX. Aliquos, post mortem,
videt esse prouidentiam diuinam, quæ vo-
luit, vno facto, iniuriam & facientis, & pa-
tientis manifestare.

C A P V T X X .

*Mirum Dei iudicium in agricola Vobur-
gensی , alijsq; duobus per mortem & sum-
mam infamiam , ad summam gloriam
perductis.*

S. I.

Historia sequentis authoritas, & fides.

Ante Suecici belli tempora, Bibur-
gi, in Bauaria liber peruetustus
manu scriptus, asseruatus fuit, in
quo monachus Mynsteriensis, sui temporis,
& earum potissimum rerum, quæ circa ea
loca contigerunt, annales exarauit. In ijs
monumentis legebatur historia, quam re-
censebo, inseramque hic tanto libentiūs,
quia sœculi nostri infelicitate, ut multa alia,
ita etiam Annales illi perierunt. Habeo ta-
mē eiusdem historiæ, præter propriam me-
moriā, testes complures, è quib. duos suf-
ficiet nominasse. Primus est doctissimi no-
minis & diligentissimæ eruditioñis, opti-
meq; de Bauaria meritus vir Christophorus
Geboldus